

Iesuita debuisset, qui in persona Christi, duas naturas ceu partes considerandas esse, noluerunt concedere: Sicut videre est apud Gabrielem Biel. in lib. 3. Sent. dist. 6. quest. 2. Artic. 3. Dubio 1. lit. F.

139. Et sanè si persona Christi duabus naturis ceu partibus constabit, sequetur Christum nec DEV M esse, nec hominem: Qui a partes nec de toto, nec de se invicem prædicantur. Sicut homo nec Corpus est, nec anima est: nec anima Corpus, nec corpus anima. Iam verò duæ in persona Christi naturæ. rectè in concreto de se invicem prædicantur, (sicuti patebit ex disputatione sequente proxima) ut, D E V S est homo: Homo est D E V S.

140. Adde, quod omnis pars sine conjunctione cæterarum partium principalium imperfecta est, ut corpus sine animo, cadaver potius quam Corpus est: & animus à Corpore separatus, suam tamen quandam dependentiam & x̄stiv habet ad Corpus: Vnde Corporis Resurrectionem desiderat. Sed nihil horum de λόγῳ, et si humanam naturam nunquam assumisset, aut eandem (quod in æternum tamen nunquam futurum est) deponeret, dici potest.

141. Rectius igitur Personam Christi duobus totis, quovis eorum in suo genere perfecta, constare affirmabimus: sic tamen ut assumptum ab assumente, supra conditionem suæ naturæ, perfici potuerit.

Verum